



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

46. Sanctitate & doctrinâ &c. Constitutio de beata Margarita à Cortona in  
Tuscia, Sorore tertii Ordinis Minorum, Sanctarum mulierum canoni  
adscripta die 16. Maji A.D. 1728.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO  
1728.

Collegiorum & Domorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, seu alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel offensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Junii MDCCXXVIII. Pontificatus nostri Anno quinto.

F. Card. Oliverius.

XLVI.

Constitutio de beata Margarita à Cortona in Tuscia, Sorore tertii Ordinis Minorum, Sanctarum mulierum canonici adscripta die 16. Maji A. D. 1728.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

I.  
Mariæ  
Magdalene  
pœnitentia  
summè  
laudata.

Sanctitate & doctrinâ admirandus & verè magnus Antecessor noster Gregorius, Romanus Pontifex, Mariæ Magdalene pœnitentiam recogitans, flendum magis, quàm dicendum existimavit, ratus, hujus peccatricis lacrymas vel saxeæ pectora ad exemplum pœnitendi emollire posse; quippe quæ consideravit quid fecit, noluitque moderari quid faceret. Super convivantes ultrò ad Jesum accessit, non jussu venit, lacrymasque inter epulas obtulit, ut omnes discerent, quo dolore arderet, quæ flere & inter epulas posset. Marcus Evangelista ex ea septem demonia, quibus universa vitia designarentur, ejecta fuisse testatur. Quia vero turpitudinis suæ maculas adspexit, ad fontem misericordiæ lavanda cucurrit, nec convivantes erubuit. Quum enim semetipsam intus graviter erubesceret, nihil quod foris recundaretur, esse putavit. Gregorius ergo Mariam venientem & Christum Dominum suscipientem miratus est, quod eam per misericordiam ille intus traxisset, qui foris per mansuetudinem suscipere non fuit dedignatus.

II.  
Sancta  
Margarita  
Cortonen-  
sis cum  
Sancta Ma-  
ria Mag-  
dalena  
collata.

Hæc Nos animo revolventes, beatæ Margaritæ à Cortona, quam modò solemnè Ecclesiæ Romanæ cæremoniâ, sanctarum mulierum canonici adscriptimus, æquè ac Evangelicæ illius Magdalene vitam, sibi invicem respondere animadvertimus, ut in utraque naturam humanam primi peccati labe corruptam, novisque culpis sædatam intueamur; in utraque divinæ gratiæ prodigia veneremur, quæ Margaritam æquè ac Magdalenam cum lacrymis ad pedes Redemptoris nostri perduxit: quas quidem lacrymas ille utriusque intus infudit, qui utramque foris benignè complexus est. Etenim Margaritam quoque per compunctionis spiritum is dono lacrymarum instruit, qui eam exterius ad veniam sub venerando tertii Ordinis Minorum instituto postea suscepit.

Hæc verò peccatrix, quæ ad Deum confugiens & plorans, nos fideliter exprimit, si, ejus pœnitentiam imitantes, ad Dominum post peccata cum lacrymis redeamus, hoc loco postulat, ut de priori vita, deque posteriori ejus sanctitate ad Christifidelium institutionem & solatium aliqua referamus.

Margarita, quæ Cortonenfis, à loco dormitionis, vulgò appellatur, Laviani oppidulo Diocesis Clusinae in Tuscia ortum habuit anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo. Primis adolescentiæ suæ annis mundi voluptatibus capta, in Montis Politiani civitate peccatrix vanam & lubricam vitam duxit, longo perditii juvenis contubernio turpiter usâ, filiumque suscepit, qui postea sanctè educatus, Minorum regulæ se addixit æquè ac mater, quæ tandem ex vita malè antea facta intimo animi dolore confixa & pœnitens, ad Dominum conversa est. Quum enim impuram amasiam ab hostibus sædè transmissam, & diu ab se frustra expectatum, indicio canis in fovea sub strue lignorum tumulatum fortuito reperisset, illic facta est manus Domini super eam, quæ magno culparum suarum mœre tacta, exiit foras & flevit amarè. Itaque ad parentes reversa, quos, post carnem suam abiens, jam dudum dereliquerat, ob culpas suas tristis, atque imbre lacrymarum perfusa, iterum excipi flagitavit. Crine detonso, neglectoque capite, quod cultu & pompâ pridem ornare consueverat, pullaque veste contexta, erroribus suis, mundique illecebris supremum finis indixit, secumque animo reputans, quàm graviter Deum læsisset, vehementi ejulatu illius misericordiam assidue deprecata, inque ædibus Deo sacris fune ad collum alligato humi procumbens, omnes, quos antea moribus suis palam offenderat, veniam exoravit. Deus, ut de Margaritæ constantia periculum fumeret, noceræ furiis & immanibus contumeliis eam foras trudi permisit; quamobrem humani generis hoste insidias eidem fruente, Cortonam profecta est, tertii Ordinis Minorum, ibi sanctitatis laude florentium, instituto, quod pœnitentium appellant, nomen datura. Illic in cinere & cilicio ab se læsam Dei majestatem placare studuit, fordes peccatorum magno luctu, jejuniis & flagris abolere conata, donec post triennale virtutum experimentum, digna tandem habita est, quæ ejusdem tertii Ordinis Minorum cingulum atque indumentum susciperet. Uberes exinde lacrymæ ei familiares fuerunt atque ima suspiria, tanta animi contritione ducta, ut diu elinguis consisteret. Lectulum nuda humus, cervical lapis aut lignum porrexit; atque ita noctes infomes in celestium meditatione trahere consuevit, corpus, proditorem suum dicere solita, quod instar jumenti lassitudinem & infirmitatem obtenderet, ne justum onus subiret. Sic permultis vigiliis atque abstinentiis attrita, spiritu potentior evasit, nullum amplius pravum desiderium perpessa, dum bonus spiritus promptior infirmam carnem ad subeundos labores erigebat.

Sed spiritus inimicus, ubi tantæ pœnitentiæ in tenella femina rigorem vidit, totus contremuit, utque eam à proposito averteret, verba malitiæ interponens, rursus insidiator accessit, supra cæteros eam agere causatus. Sed mulier fortis, hostem ex verbis detectum, semel atque iterum invicta repulit, dum vanæ etiam gloriæ lenocinium ei subdolos inferre tentavit: quod ipsa perhorrescens, præteritos mores suos per vicos & plateas Cortonenfis civitatis altâ voce accusare non destitit, omni supplicio se ream inclamans, idem præ summo diviniæ offensionis

ANNO  
1728.

III.  
Marga-  
ritæ ortus,  
vita pec-  
catricis,  
conversio  
& pœni-  
tentia.

IV.  
Dæmo-  
nis insidi-  
as vincit.

ANNO  
1728.

dolore alibi factura, ubi palam peccaverat, quum Montem Politianum petere vellet, nisi eam Confessarius ab itinere provido consilio deterruisset: qui pariter intercessit, ne in speciosam faciem, olim impuri amoris causam, fœviret, ægre ferens suam formam longa carnis maceratione non aboleri.

V.  
Miris gra-  
tias à Deo  
donata.

His ergo, aliisque magnæ poenitentiae argumen-  
tis Margarita suorum criminum labe expiata, at-  
que ita de se triumphatrix, ut sensus plane omnes  
à mundi illecebris custodiret, oculosque attollere,  
vultusque hominum præ verecundia conspiciere  
nunquam auderet, digna facta est, quæ sæpe Do-  
mini consuetudine frueretur; ipsa tamen eo sem-  
per humilior, quo majori eam Christus amore  
dignabatur. Eiusdem quoque Christi & Virginis  
matris dolorum, quod ipsa ardentem experierat,  
particeps facta, cunctis sensibus destituta & verè  
mortua interdum visa est.

VI.  
Miracula.

Tanto præterea & tam miro lumine illustrari  
meruit, ut cordium secreta, quod unius Dei est,  
rimaretur, & conscientias hominum apertius in-  
spiceret; peccata in remotis etiam partibus Deum  
offendentium cum dolore & lacrymis retereret,  
malos à vitiis retrahens, probosque meliores effi-  
ciens: quod ingenti caritate inflammata identi-  
dem egisse comperta est. Aegris ad se venienti-  
bus salutem à Domino impetrabat, atrociter à  
Dæmone obsessos, fufis ad Deum precibus libe-  
ravit. Puerum defunctum, lugente matre, ad  
vitam reduxit. Sub piæ memoriæ Deceffore no-  
stro Nicolao Papa IV. imminentes bellorum tu-  
multus assiduis orationibus sedavit. Denique  
summæ pietatis operibus vivos & mortuos sibi  
demeruit. Neque interim, tot sanctis operibus  
occupata, de rigore, quo assidue corpus suum  
exercebat, quidquam remisit, aut à studio cœ-  
lestia meditandi se avelli passa est, in utroque  
vitæ genere planè admiranda, utramque fororem  
Magdalenam & Martham referens.

VII.  
Piè obit.

Tandem pro se Dominum orans, ut ex hac  
valle lacrymarum sursum in cœlestem patriam  
duci permetteretur, exaudita est oratio ejus, die  
atque hora dormitionis ei patefactis. Tres ergo  
supra viginti annos Deo fideliter ancillata, meri-  
tisque & laboribus plena, ac cœlestibus donis  
cumulata, cœpit corporis viribus destitui, per-  
que dies decem & septem nullo cibo, sed divinis  
tantum colloquiis refecta est. Supremi transitus  
hora adveniente, sanctissimis Ecclesiæ Sacramen-  
tis ritè susceptis, anno ætatis quinquagesimo,  
vultu hilari atque oculis in cœlum conversis,  
octavo Kalendas Martias, qui est dies festus Ca-  
thedræ Antiochenæ beati Petri Apostoli, anno  
salutis millesimo ducentesimo nonagesimo septi-  
mo, suæ conversionis vicesimo tertio, felix mi-  
gravit ad Dominum.

VIII.  
Corpus  
incorru-  
ptum, &  
miro odo-  
re perfu-  
sum. A  
summis  
Pontifici-  
bus san-  
ctitatis  
laude or-  
natur.

Ipsa horâ, qua nova hæc Magdalena ad supe-  
ros evolavit, summi Dei gloria atque omnipo-  
tentia cœpit in ea manifestari. Tiferni enim ad  
Tiberim quidam cœlestibus meditationibus raptus,  
ejus animam aliis permultis ex purgatorio eductis  
sociatam ingenti læticia in cœlum effert conspe-  
xit. Corpus miro odore perfusum, copiosâ po-  
pulorum frequentia accurren-  
te, in æde beati Ba-  
sili, quæ est Fratrum Minorum, jamque ab e-  
dem Margarita appellatur, depositum est, statim-  
que compluribus miraculis coruscavit, quæ coram  
gentili nostro Neapoleone Sancti Hadriani Diacono  
Cardinali, Apostolicæ Sedis in Italia Legato,  
sub recolendæ memoriæ Deceffore nostro Clemen-  
te Papa V. scripta & comprobata fuerunt: Qui-  
bus denuò rite discussis, ac stupendo illo prodigi-

gio, quo Dei famulæ corpus Cortonæ adhuc ve-  
getum, incorruptum, illæsum, suavique odore  
perfusum ab omnibus colitur, permotus felicitis  
recordationis Antecessor noster Leo Papa X. qui  
illud venerabundus coram suspexerat, Litteris  
Apostolicis octavo idus Februariæ anni millesimi  
quingentesimi decimi quinti Florentiæ vulgatis,  
concessit, ut Margaritæ natalis Cortonæ, inque  
tota ejus Diocesi solemnè cultu celebraretur, sa-  
cræque ejus exuvie omnium venerationi, ipso,  
quo deceffit die, exponerentur. Mox anno in-  
sequenti plenariam peccatorum indulgentiam, sa-  
cræ ædem, ubi quiescit, visitantibus largitus  
est. Eam deinde similis memoriæ Deceffor no-  
ster Urbanus Papa VIII. beatarum mulierum  
Catalogo adscripsit, quum alii ejus, nostrique  
Deceffores Romani Pontifices Bonifacius IX. &  
Eugenius IV. jampridem sanctitatis laudem ei  
tribuissent. Ipse etiam Urbanus Officium in  
ejus honorem toti ordini Minorum celebrandum  
concessit, ac tandem alius piæ recordationis De-  
ceffor noster Clemens Papa IX. cum Beatæ elo-  
gio eandem Martyrologio Romano inferi jussit,  
adprobante id postmodum similis quoque memo-  
riæ Clemente Papa XI.

Quum ergo toties discussa & comprobata fuisset  
Beatæ mulieris sanctitas, nos tandem Vene-  
rabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ  
Ecclesiæ Cardinalium sacris Ecclesiæ ritibus exa-  
minandis præpositorum suffragia de Margarita in  
sanctarum mulierum canonem referenda, ut tan-  
tæ rei gravitas postulabat, distinctim auditi, eos  
de more coram nobis congregari mandavimus.  
Hi vero omnes Dei famulam ob Christianarum  
ejus virtutum excellentiam, & complurium mira-  
culorum, quibus post concessum ab hac Sede Apo-  
stolica ei cultum, magnus Dominus potentiam  
suam per ejus intercessionem manifestare dignus  
est, sanctarum mulierum fastis adnumerandam  
uno ore censuerunt. Quare omnibus veteri Ec-  
clesiæ disciplinæ respondere compertis, inque tri-  
bus Consistoriis & plenario conventu eorundem  
Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ  
Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum,  
Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in  
Urbe præsentium, rite perpenfis, unanimi eorundem  
sententiâ per Sedis Apostolicæ Notarios cor-  
ram nobis ipsis exceptâ, Regumque ac virorum  
Principum, & totius Ordinis Minorum enixis  
precibus pro Margarita in Sanctarum mulierum  
non Virginum nec Martyrum, Canonem referen-  
da, jamdudum Apostolicæ Sedi porrectis, post  
tantæ rei perficiendæ solemnem diem à Nobis in-  
dictam, perque Orationes, jejunia & elemosy-  
nas omnipotentis Dei opem pro hac re ferventissi-  
mè imploratam, nos demum univèrsis, quæ ex  
Antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum  
constitutionibus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ  
disciplina, peragenda erant, omni religione pera-  
ctis, hac ipsa die solemnè Pentecostes, una cum  
iisdem Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Ro-  
manæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis  
& Episcopis, ac utriusque Cleri & populi frequen-  
tia, in Sacrosanctam Basilicam Principis Aposto-  
lorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel,  
iterum & tertio pro Beata Margarita à Cortona  
tertii Minorum Sorore in Sanctarum mulierum non  
Virginum nec Martyrum canonem referenda pre-  
cibus nobis porrectis per dilectum Filium, Fra-  
trem Laurentium S. R. E. Tituli Sanctæ Mariæ  
de Araceli Presbyterum Cardinalem, Cozzam  
nuncupatum, post decantatas sacras Orationes,  
& Spiritus Sancti gratiam humillimè invoca-  
tam, ad honorem Sanctæ & individue Trini-

IX.  
Sanctarum  
canoni  
adscribi-  
tur.

ANNO  
1728.ANNO  
1728.

tatis, fidei Catholicae exaltationem, & Christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, maturâ deliberatione praehabita, & divinâ ope saepius implorata, de eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario Conventu Basilicae Vaticanae ibidem praesentium, consilio & unanimi consensu, Beatam Margaritam à Cortona tertii Ordinis Minorum Sororem, de cuius sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plenè constabat & constat, Sanctam esse decrevimus & definivimus, Sanctarum mulierum non Virginum nec Martyrum canonis adscripsimus & adscribendam esse decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eandemque per universos Christifideles, tamquam verè Sanctam, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem aedes sacrae & altaria, in quibus incrementum sacrificium Deo offeratur, aedificari & consecrari, & quorannis octavo Kalendas Martias, quo die ad caelestem patriam evolavit, ejus festa solemnia, ut sanctae mulieris non Virginis nec Martyris, pia devotione recolantur possint.

X.  
Indulgentiae visitantibus ejus corpus concessa.

Infuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus verè poenitentibus & confessis, qui eodem die festo singulis annis sepulcrum, ubi ejus corpus incorruptum atque integrum & suavi odore perfusum adservatur, piè visitaverint, annum & quadragenam, iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

XI.  
Summus Pontifex Missam celebrat in honorem sanctae Margaritae.

Postremò gratis Deo actis, quòd Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluerit, cantatâ in honorem beatae Margaritae à Cortona, solemni oratione, in ara maxima supra confessionem beati Petri Principis Apostolorum Sacrosanctum Missae sacrificium celebravimus, omnibusque Christifidelibus ibidem praesentibus, plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

XII.  
Gratiae Deo actae ob eam Sanctarum numero adscripta.

Decet igitur, ut pro tam peculiari, insignique beneficio, cœlitus nobis concessio, benedicamus & glorificemus omnium honorum auctorem, in trinis personis unum Deum, cui est honor & gloria in saecula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electae suae Margaritae, à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui super gentes, quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

XIII.  
Hae litterae ubique fidenter obtineant.

Ceterum quia difficile foret, praesentes nostras litteras ad singula loca, ad quae opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

XIV.  
Nemo hanc paginam infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vicesimo octavo, 16. Kalendas Junias, Pontificatus nostri anno quinto.

† Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.



† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.

† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Orto-  
tobonus S. R. E. Vice-Cancellarius.

† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.

† Ego Joseph Renuus Tituli Sancti Laurentii in  
Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.

† Ego Ludovicus Tituli Sanctae Praxedis Presbyter  
Cardinalis Picus de Mirandula.

† Ego Johannes Antonius Tituli Sancti Petri ad  
Vincula Presbyter Cardinalis de Via.

† Ego Antonius Felix Tituli Sanctae Balbinae  
Presbyter Cardinalis Zondadarius.

† Ego Petrus Marcellinus Tituli Sanctae Mariae  
Transiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.

† Ego Curtius Tituli Sancti Eustachii Presbyter  
Cardinalis Origus.

† Ego Melchior Tituli Sanctae Mariae Angelorum  
Presbyter Cardinalis de Polignac.

† Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei & Achil-  
lei Presbyter Cardinalis Spinula.

† Ego Julius Tituli Sancti Chrysoconi Presbyter  
Cardinalis Alberonus.

† Ego Cornelius Tituli Sanctae Cæcilie Presbyter  
Cardinalis Bentivolus de Aragonia.

† Ego Ludovicus Tituli Sanctae Priscæ Presbyter  
Cardinalis Belluga & Moncada.

ANNO  
1728.

- ✠ Ego Johannes Baptista Tituli Sancti Stephani in Monte Caelio Presbyter Cardinalis Salernus.
- ✠ Ego Alvarus Tituli Sancti Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
- ✠ Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Penitentiarius.
- ✠ Ego Johannes Baptista Tituli Sancti Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
- ✠ Ego Vincentius Tituli Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
- ✠ Ego Prosper Tituli Sancti Calixti Presbyter Cardinalis Marifuscus.
- ✠ Ego Frater Augustinus Tituli Sancti Xysti Presbyter Cardinalis Pipia Ordinis Praedicatorum.
- ✠ Ego Nicolaus Tituli Sanctae Mariae in Dominica Presbyter Cardinalis Coscia.
- ✠ Ego Nicolaus Maria Tituli Sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.
- ✠ Ego Franciscus Antonius Tituli Sanctae Mariae in Via Presbyter Cardinalis Fini.
- ✠ Ego Frater Gregorius Tituli Sancti Augustini Presbyter Cardinalis Selli.
- ✠ Ego Frater Laurentius Tituli Sanctae Mariae de Araceli Presbyter Cardinalis Cozza.
- ✠ Ego Frater Vincentius Ludovicus Tituli Sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Gotti Ordinis Praedicatorum.
- ✠ Ego D. Leander Tituli Sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Porzia Ordinis Divi Benedicti.
- ✠ Ego Petrus Aloysius Tituli Sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Caraffa.
- ✠ Ego Joseph Tituli Sanctae Mariae de Traspontina Presbyter Cardinalis Accorambonus.
- ✠ Ego Laurentius Sanctae Agathae ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
- ✠ Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
- ✠ Ego Alexander Sanctae Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
- ✠ Ego Nicolaus Sanctae Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.
- ✠ Ego Antonius Sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Bancherius.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus  
Subdatarius.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Felix Francischinus R. C. A. Secretarius.

ANNO  
1728.

*Constitutio pro Ordine Fratrum Minorum  
Sancti Francisci.*

Controversiae, & lites de Primatu, & Anterioritate, perpetuo silentio imposito, extinguuntur: Quae pro Universis Tertiariis in propriis domibus viventibus in Constitutione Paterna Sedis sancita sunt, denuo confirmantur, & Basilicae S. Mariae de Portiuncula, & S. Francisci Civitatis Assisensis sub diversis rationibus Ordinis Matrices decernuntur.

XLVII.

BENEDICTUS PAPA XIII.

*Dilectis Filiis Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, nec non Generali Ministro Fratrum Conventualium ejusdem Ordinis.*

Dilecti Filii salutem &c. Qui pacem loquitur in plebem suam, & super Sanctos suos, certam illam avertendae contentiois viam, rationemque discipulis designavit, monitis, exemplisque suis eosdem adhortatus, ut qui major esset inter ipsos, fieret sicut minor, ac proinde esse contenderent, non praeminentiam, & primatu, sed ministrandi, ac subjacendi humilitate praecessores. Haec autem documenta B. Franciscus Seraphicus vestri Ordinis Conditor, & ipse mirabiliter arripuit, & expressit, & custodiendae pacis firmamentum esse voluit alumnis suis, qui modestam ipsa Fratrum Minorum appellatione Evangelicam illam caelestis Magistri normam praeseferentes, sinceram caritatis veraeque Fraternalitatis disciplinam, & cultum per totam Christi Ecclesiam latissime propagarunt. Nos igitur, quemadmodum uberes ex religiosissima institutione Domini agri proventus largitori Deo reique Catholicae gratulamur; ita omnem dare operam debemus, ne dissidia, & lites de loco, & dignitate bonam frugem suffocare possint, fraternamque concordiam discindere, aut perturbare. Porro cum tres Constitutiones ediderimus pro institutione, ac regimine Tertiariorum ejusdem Seraphici Ordinis in propriis Domibus viventium, primam die 10. Decembris 1725. pro Fratribus Minoribus Regularis Observantiae, quae incipit: *Paterna Sedis Apostolicae providentia.* alteram die 24. Maji 1726. pro Fratribus Minoribus, qui Cappuccini appellantur, quae incipit: *Ratio Apostolici ministerii;* tertiam denique die 5. Julii ejusdem anni pro Fratribus Minoribus Conventualibus, quae incipit: *Singularis devotio:* non sine ingenti animi molestia rescivimus, controversias inter antedictas laudati Ordinis familias invaluisse de primatu, & antiquitate alterius praeter altera, de multiplici erectione Congregationum Tertii Ordinis, deque transitu Tertiariorum unius Congregationis ad aliam, quae cum religiosae disciplinae detrimento, scandala etiam in populis serere possint, & B. Patris Francisci spiritum in discipulis ejus extinguere. Diffensionibus igitur, ac jurgis aditum obstruere, & necessariam regulari disciplinae pacem, & tranquillitatem fovere, aut restituere cupientes; Motu proprio, ex certa scientia, non ad oblatam cujusquam petitionis instantiam, inprimis omnes, & singulas de memoratis causis lites, & controversias, utcunque, & in quacunque instantia super his ortas, agitatae, & actu pendentes, coram quibuscunque Judicibus, ac Tribunalibus, etiam speciali mentione dignis, quorum nomina pro expressis haberi volumus, ad Nos advocantes, perpetuo silentio imposito extinguimus, & abolemus. Praeterea

quascun-